



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton


Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CIX. Contra carnis tentationes nullum efficacius remedium,
quàm fuga ad crucifixum Jesum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

omnis exercitus Crucifixum Dominum genuflectens adoraret, ubi & 50. Milites fortissimos elegit, qui in pugna vexillum Crucis caeteris preferrent cohortibus, qui 50. Vexilliferi in Ecclesia militantes Ordinem militare sub Constantino M. supremo illius Magistro instituerunt. En originem veræ & Christianæ Nobilitatis à Signo Sanctæ crucis. Sequere.



CONSIDERATIO CIX.

Contra carnis tentationes nullum efficacius remedium, quàm fuga ad crucifixum IESUM.

Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Galat. 5. 24.

1.

Ether. 7. 6.

Sedet Aman in regali convivio, nihil mali vel sinistri cogitans, postulat interim Esther sibi & Judæis vitam, Amanum verò apud Regem solemniter accusat: *Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman.* Quid Rex? sine mora jubet, ut in patibulo, quod prius ille Mardocheo paraverat, suspendatur: *Appendite eum in eo.*

S. Ant. Pad. S. fer. 6. in cap. jejunii.

S. Antonius Paduanus per Aman carnem nostram intelligit, verè *hostis & inimicus noster pessimus*, & quò magis illi blandiris, eò magis tibi fiet rebellis, & si foveatur, amplius lædit. Aman, prout dictum est, suspensus est in patibulo non in domo sua, sed in porta urbis Susorum ad majorem ejus ignominiam; Et si P. Gretsero credimus, ferreis

Gretser. lib. 1. de cruce. cap. 19.

clavis cruci affixus est. Ita & tu, ô homo Christiane! carnem tuam toties tibi rebellem debes suspendere in cruce Christi clavis contritionis, timoris & amoris Dei: *Confige timore tuo carnes meas.* Unde rectè

Psal. 18. 120. Gal. 5. 24.

Apostolus: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Collige ex hoc, an tu sis Christi?

3. Ubi Veritas Christus ac Redemptor noster cum iniquis in cruce reputatus est, ut nos ex iniquis justos faceret ac Sanctos; Observat Scriptura

Scriptura: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris*, latronum enim ordinarium erat supplicium crux, inter quos tanquam choragus & princeps pendebat medijs Iesus Dei Filius. Sed adverte ingens discrimen; unus poenitens salvatus est, & alter impoenitens aeternum reprobatus. Ingens hic latet mysterium, de quo S. Augustinus: *Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit, in medio enim iudice constituto, unus qui credidit; liberatus, alius qui insultavit, damnatus est: iam significabat quod facturus est de vivis & mortuis, alios positurus ad dexteram, alios vero ad sinistram.*

S. Aug. 11. 31.
in Joan.

Sed & alia ratio hic subest, quam assignat Hugo Cardinalis: *Latro sinister, inquit, est mundus, qui Christo crucifixo, id est, membris eius crucem portantibus, insultare non cessat. Latro dexter caro est, cui spiritus crucifixus, cum ea compatiendo, id est, consolando, salutem promittit, dicens: Hodie mecum eris in paradiso, id est, cito transibit passio tua, & pro ea aeternaliter remuneraberis in caelo. Eja animemi! Crucifigamus nunc latronem istum, hoc est, carnem nostram cum omnibus vitiis ac concupiscentiis, ut in mortis agone pariter à Crucifixo Domino audire mereamur: Hodie mecum eris in paradiso. Transeo ad alia.*

Hugo Card.
in Marcum
15. 27.

3. Mandavit quondam DEUS, ut sanguis Agni Paschalis in quilibet domo Hebraeorum super januas & limina earum aspergeretur, ex cuius aspectu Angelus exterminator & percussor pertranseat, non nocens domus incolis: *Videbo sanguinem & transibo, nec erit in vobis plaga disperdens.* Ad quid, obsecro, hoc signum? Adverte mysterium: Sanguis illius occisi Agni elegantissima erat figura Agni illius immaculati in cruce pro salute nostra occisi, & immolati. Si igitur venerit demon meridianus, si pertranseat Asmodæus exterminator, tentans te in carne infirma ad libidinem, & tuum expectans consensum, cito aspice, & contemplare crucifixum Iesum, & cruenta eius SS. Vulnera, & pertransibit innoxius, neque erit in te plaga disperdens. Si mihi non vis credere, Divo Augustino fidem adhibe: *Cum me pulsas, inquit, aliqua turpis cogitatio, recurro ad Vulnera Christi: Cum me premit caro mea, recordatione Vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordia Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione Vulnerum Domini nostri Filii Dei extinguitur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam Vulnera Christi, in illis dormio securus, & requiesco intrepidus, O quale solatium Vulnera Iesu!*

Exod. 12. 13.

S. August. in
Manual. c. 12.

4. Homorrhoiſſa illa, quæ duodecim annis continuum & acerbum patiebatur sanguinis fluxum nullo medicamine sanabilem; Tandem ad Christum venit, dicens intra se, *quia si vel vestimentum eius*

Marc. 5. 28.

Ginther Unus pro omnibus.

Fff

cori-

tetigero, salva ero. Tetigit, & sanata est: Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus. Felix mulier, quam & Dominus paventem & furtim irruentem consolatus est: Filia, fides tua te salvam fecit, vade in pace. Cæterum S. Doctor Angelicus hunc Scripturæ locum ita exponit: *Passio fluxum sanguinis propter fluxum carnalium delectationum. Hunc fluxum si quis habet, non desperet, sed vadat cum dicta muliere ad Crucifixum*

S. Th. Aquin.
hic.

Anton. Pad.
Dom. 24.
post Pcu.

JESUM, & in SS. Vulneribus ejus inveniet potentissimum remedium. Juvat hic audire S. Antonium Paduanum: *Vestimentum Christi, inquit, ipse est caro, de qua Isaias c. 63. Quare rubrum est indumentum tuum? Jesus torcular, id est, pressuram crucis solus sustinuit, in quo vestimentum sanguine rubricavit, hujus vestimenti simbria est ipsa passio, qua animam liberat à sanguinis profluvio, contra enim carnis vitia summè valet memoria Passionis Christi.*

Tob. II. 13.

Hugo in Tob.

5. Tobia Senioris oculos, stercore hierundinis obcæcatos, amarissimum fel illuminavit: *Tunc sumens Tobias de felle piscis linivit oculos patris sui, statimque visum recepit.* Omnis peccator, præsertim libidinosus cæcus est; quid consilii? fel ipsi applica: *Hoc fel, ait Hugo Cardinalis, est Passionis Christi amaritudo, hanc si in memoriam serió revocabis, & Crucifixi Amoris tui dolores ac Vulnera attentiore mente considerabis, facillè carnis motus & tentationum superabis insultus.* Ita Mellifluus Bernardus: *Quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem allici, toties pone ante mentis oculos, quomodo Christus in cruce crucifixus est pro te; Unde dicere solebat: Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? Absit hoc à me! sed vivat in me JESUS & hic Crucifixus, & quis me separabit à charitate illius?*

S. Bernh. de
inter. Dom.
c. 38.

Job. 31. 1.

6. Job gravissimos insultus non timuit, imò neque diabolum cum flagello ad se accedentem, se ut leo in omni tentatione & tribulatione fortis stetit. Verùm cum aliquando speciosam conspicatus est Virginem, absque mora aufugit, & discessit, unde dixit: *Peppi sedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Et quare hoc vir pientissime? Ipse rationem subdat: *Quam enim partem, inquit, habet in me Deus, & hæreditatem Omnipotens de excelsis? Id est: Quomodo mihi suâ gratiâ & favore, quasi filio & hæredi adesse vellet DEUS, si statum meum non servarem? Absit hoc à me, quia soli casti sunt filii & hæredes Dei, impuri autem sunt inferni mancipia, & longè à Deo alienati, proinde nolo ne quidem virginem curioso intueri aspectu:*

Jerem. 9. 21.

Mors enim ascendit per fenestras.

Disce à Job, quam periculosum sit sese alteri immiscere sexui, & Eccli. 42. 13. sæpiùs familiaris cum illo agere: *De vestimentis enim procedit tinea, &*

à mu.

à muliere inquit as viri. Adam à muliere deceptus est; Samson per Daliam traditus; David à Bethsabee devictus; Sifara à Jahel occisus; Salomon per mulieres alienigenas seductus; Mitto millenos alios; proinderectè S. Augustinus: *Apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.*

Sed quò fugiendum est, Magne Ecclesiæ Doctor? R. Ad crucem, in cruce enim tota salus & vita nostra consistit: *Nullum, ait, tam potens est, tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quàm mors Redemptoris nostri.* S. August. in Manual. c. 23.

7. Job, prout dictum est, à facie formosæ virginis oculos avertit; ego autem tibi suadeo, anime mi, ut oculos convertas ad Virginem & dolorosissimam Matrem stantem sub cruce dilectissimi Filii sui; hanc si devotè invocaveris, aderit tibi in omni tentatione, ut cum proventu possis sustinere & superare: *Ad pedem crucis, ait Nierembergii, Nieremberg. l. 2. de Ador. c. 1. accepit nos Maria in filios: ibi peperit nos, non ex utero, sed ex corde. Ecce filius tuus est quisque fidelis.* Si ergo filius, cur non fugis ad Matrem?

Refert Cæsarius de bono Religioso, cui accidit, quod quondam Sancto Paulo stimulis carnis agitato. Ad Paulum Christus dixit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur;* ita & huic Religioso, cui Sathan per similes tentationes parabat interitum, omninò benignum se exhibuit, dum eum orantem in cruce pendens amplexatus est, & tanquam præcordialem sibi in signum mutux familiaritatis illum ad pectus suum attrahendo strinxit, tentationesque illius validissimas stringendo compescuit. Ecce quid sit fugere in tentatione ad Crucifixum JESUM. Manf. to. 2. tr. 59. disc. 10. n. 7.

